

Yb
177
177

X 2003646

Dominatores Saxonici Fribergæ:

Id est:

**ENVMERATIO
OMNIVM PRINCIPVM,
MARCHIONVM, LANDGRAVI-
ORVM ET ELECTORVM ILLVSTRIS:**

DOMUS SAXONICÆ, sub quorum potestate urbs FRIBERGA à primâ
suâ ædificatione (ab anno videlicet 1171.) fuit, ad hæc usq; tempora, cum
Curriculis vitæ ipsorum, deducta, additâ Annotatione Pe-
riodi Regni uniuscujusq;

Quibus adjunctæ sunt Personæ Illustres & Electorales, in Sacello
Templi Cathedralis ibidem sepultæ.

*Ex quibus omnibus videre licet, quoties passa sit hæc Vrbs luctu-
osissimos Obitus Dominorum suorum de Domo Saxonica.*

Carmine Elegiaco descripta, & dedicata Illustriss:

& generosiss: Principi ac Domino,

DN: JOANNI GEORGIO,

Saxonie, Julie, Clivie & Montium Duci: S. Rom.

*Imp: ArchiMarschallo & Electori, Landgravio Thuringie,
Marchioni Misnie, Burggravio Magdeburgensi, Comiti de Marca
& Ravensburg, Domino in Ravenstein, Domino
suo Clementiss.*

**Cum (præstitis FRIBERGÆ Exequijs funebribus
Fratri suo desideratiss: Illustris: & Celsis: Principi
& Domino, Domino**

CHRISTIANO II.

*Electori Sax. Dresdæ anno 1611. 23. Junij in Christo piè defuncto,)
Suscepturus esset Electoratum, & Ditionum Fraternalium
gubernationem hæreditariam.*

**Autore M. Georgio Agricolâ, Fribergæ
docentium Collegâ ad D. Nicol. P. L.**



D V X generose, obitus Proavorum, I A N E
G E O R G I,
Dum luges F R A T R I S fata suprema, cape.
Quos omnes tibi, teq; illis vita altera reddet,
Sint obitus tardi, vitaq; longa tibi.



ENVMERATIO DOMINATORVM
SAXONICORVM VRBIS
FRIBERGÆ.

Anné Genethliacon scribam aut Epicedion Vrbi
FRIBERGÆ, dubium me anxius ardor agit?
Quam multos Obitus Procerumq; Ducumq; suorum
Vrbs, natalitio à tempore, chara tulit?
Nàm toties morimur, quoties amittimus illos,
De nobis vivi qui meruère bene.
O quoties est visa mori FRIBERGA, vocante
Morte DVCEs, horum Funera crebra videns?
Hos ego dum meditor describere, traxerit Omnis
Quàmq; diu vitam, quàm Regimeng; diu,
Est scitu dignum, quando incunabula primùm
Cæperit Vrbs, & quo cæperit illa DVCE.
Ergo Genethliacon fiet primum: utq; secuti
Sint reliqui Proceres ordine quisq; suo.

I.

OTHO MARGGRAVIUS,
divitis Conradi Filius.

Pincipio occurrit Genitor meritissimus Vrbs,
Quoq; Autore diem viderit illa suum.
Marggravius fuit Autor OTHO, Fundamina primus
Qui posuit, quibus Vrbs surgat & ista iugis.
Ille OTHO Conradi est opulenti Filius, Heros
Magnanimus, multis divitijsq; potens.

Pater Vrbs.

A 2

Ille

Ætas Urbis
440. anni.

Conditæ anno
1171.

Mater Urbis.

Ille moram patiens nullam, per Quatuor Annos,
Vrbs extaret ut hæc eximia, urget Opus.

Quæ Quadringentos nunc, hæc cum scribimus, atq;
Quadräginta Annos indubitanter agit.

Conditæ nam, cum Mille & Centum Anni, insuper unus
Septuäginta irent post, ubi Virgo parit.

CONSTAT ubi sic, quis Genitor produxerit Urbem,
Questio nunc ejus de Genitrice subit.

Hæc fuit Vbertas Argenti, effusa Fodinis,
Ampla latebrosisq; æra recisa jugis.

Quæ duce Naturâ gignit vapor humidus intus,
Et gremio latitans ubere pangit Opus.

Sic, ΟΤΗΟ quo sumptu facili produceret Urbem,
Effodiebatur magnus acervus opum.

Id fieri voluit Benedictio calitus orta,
Urbis quæ genitæ se quasi Mater habet.

Tempus nata-
litium Urbis.

AST Urbis genitæ Tempusq; Diesq; notanda est,
Præfagire licet quæ bona, quæq; mala.

Ipsa dies Natalis erat, quam Margaris affert,
Erigones rapido cum calet igne Canis.

Vtq; recordatrix horum sit sera quotannis
Posteritas, memorem Lux gerit illa notam.

Annus hæc Urbis quoniam Mercatus habetur,

Marggrāvus HEINRICVS Jus quod habere dedit.

Hinc

AN: 1263.

Hinc Natae Genitor Prognosticon addidit: Vrbs haec
 Quodq; habitura Bonum, quodq; habitura Malum.
 Thema tuum mixtum est, dixit, mortalia ceu sunt,
 Diversâ aspexit te vice clima poli,
 Non mala semper erunt, his sed bona juncta videbis,
 Nec bona semper erunt, sed mala juncta bonis.
 Tot mille exterius capiet tuus ambitus ulnas,
 Quot Digitos Hominis continet una manus.
 Vulgaris tibi erunt immunia cuncta Tributi,
 Quorum vult usum quotidiana penus.
 Ligna levi sumptu per Aquas tranare videbis
 Ad te, multigenis, ignibus apta, modis.
 Mercatus tibi erit, parasangas, proprius, intra
 Certas, sic Superum Lege volente, Salis.
 Te bona potabit semper Cerevisia, Terras
 Grata peregrinas adq; vehenda procul.
 Et Fora abundabunt diversis Mercibus: Et quas
 Indumenta petunt, quasq; requirit esus.
 Illustris Pueris certis Ludusq; patebit
 Qui gaudent Studijs invigilare pijs.
 Munifici Cives Et honesta Stipendia condent,
 Artibus ut Juvenes dent operam inde bonis.
 Vrbs populosa satis, Juvenumq; Senumq; catervis
 Repleta, atq; timens nullius Hostis eris.
 Deniq; vix aliquâ quia commoditate carebis,
 Fortune nullis destituere bonis.

Prognostica ex
themate Vrbs.

Ambitus Vrbs.

Bona.
An. 1291.
1555.
1534.

1200.

1543.

A 3

V T Mala



Mala.

Annis 1375.
86.1471.84.

Annis multis.

Sæpius.

1444. 1507.
1538. 39. 53.

1296.

1315.

1423.

1547.

VT Mala sunt conjuncta Bonis tamen usq̄, dolebis

Sic varijs contra Casibus atque Malis

Sæpe tuos perdent incendia dira Penates,

Et pars multa tui concidet igne crebro.

Allatura tibi, Contagia, damna necemq̄,

Non parcent, perimet Corpora multa Lues.

Monstruosam Sobolem nonnunquam ventre recludet

Fœmina, Conjugibus quod dolor acer erit.

Sæpe Latrocinijs spoliabere, quique sacratum

Ob Verbum tibi sit subdolus, Hostis erit.

Venarum obq̄, sitim tibi Bella movebit Adolphus

Cæsar, & Albertus non minus arma feret.

Ambo te capient oppugnatrice Cohorte,

Proditor èque tuis Civibus unus erit.

Donec Landgravius FRIDERICVS vindice Dextra

Expellet Suevos, vi tibi opemq̄ feret.

Ob te Fridricus dissentiet atque V Vilhelmus,

Dissidium avertet Consul at omne probus.

Ah quàm Seditioe gravi affligère, JOHANNES,

Electo captus cum, FRIDERICVS, erit.

Pars redimi captum volet, & se subdere eidem,

Pars sub MAVRITII sed volet esse jugo.

Quid multis? ô Vrbs quàm concutière Malorum

Iliade, enumerem quàm, citò mutus ero.

Omnia sed vinces, ipso Victore Tonante,

Flectere te poterunt, vincere nulla mala.

Hec

HÆC OTHO Fundator cecinit præfagia: sed jam
Qualibet Eventum dudum habuere suum.

VRbe Monasterium, cum Fribergense locavit
Hic OTHO, quod dictum est nomine CELLA VE-
Præscripsit normam, Benedicti Regula, vitæ, (TVS.
Mens quibus hoc claustro vota severa sequi.
Hic tumultata DVCV M Soboles post Fata quiescit,
Quæ Reditus Monachis, plurima & æra, dedit.
Nunc verò perijt celebris structura Sacelli,
Bis duo videre hoc Secla quod esse loco.
Ille sepulchralem sibi Cellam elegit in ista,
CELLA, ubi mortalis Corporis ossa cubent.
Idem Cœnobium PORTENSE extruxit: Alumnos
Doctrinæ Illustris nunc ubi Ludus habet.

Cæpit regnare anno 1171.

Regnavit annos 18.

Obijt anno 1189.

II.

ALBERTVS SEVERVS: SECVNDVS
ab Vrbe Fribergens: conditâ.

ALBERTVS deinceps Patri succedit OTHONI,
Imperiumq; Alter conditâ ab urbe, gerit.
Captivum hic tenuit Genitorem, Regna volentem
Esse Theodrico, voce dicata suâ.
Qui tamen Alberto Fratre esset junior: Ergo
Tempore qui pejor est, sit quoq; Jure prior.

Per

Per BARBAROSSAM sed OTHO de Carcere liber

Redditur, ablato compede statq; pede.

Post hujus mortem ALBERTVS fit conscius, Aram

In Cella, Argentum defodisse Patrem,

Mille ter Argenti Marcas, Monachisq; dedisse

Vtendas, votis & sua fata sequi.

Hic Prædæ cupidus, se illi adjungente Maniplo,

FRIBERGA ALBERTVS proruit in tenebris,

Invaditq; locum vi, thesauroq; refoffo,

Vadit in hunc letus, venerat unde, locum.

Ast ò letitiæ gravis exitus: omnia Morbus,

Noctæ dieq; furens corpore, membra capit.

Vt tangi manibus sufferre nequiverit, edens

Lamenta, assiduo præq; dolore gemens.

Cum tandem ferri Misenam optaret, acuto

Ex cruciatu obiit squallidus, inter iter.

Historiæ referunt, quod potu illata venena,

Hauferit, à Monachis structa, latente dolo.

A Monachis, eris donati à Patre rapinam,

Sic ultis, cupidis par retulisse pari.

Ipsius at potius fuit hæc Vindicta Tonantis,

Carceris in, quoniam clauserat, antra, Patrem.

” Improba disce Patrem reverenter habere Juventus,

” Quilibet & Sacris disce carere Bonis.

Adijt Regnum an. 1189.

Regnavit annos 21.

Obijt anno 1210.

THEO-

THEODORICVS SIVE DITERICVS,
EXVL, TERTIVS AB VRBE
Friberg: edificatâ.

Hunc THEODORICVS Frater regnando secutus,
De Regno tamen bis dissidium acre fuit.
Imperio esse pares, rebus pariterq; præesse
Debuerant, hoc sic lege jubente Patris.
Sed THEODORICO Bona multa Albertus ademit,
Et Fratri partes viq; doloq; rapit.
Vrbibus illicito Fraternali Marte potitur,
Propter ut has causas Exul hic esset inops.
Quin etiam solus, quæ divite fruge Fodine
Tum Fribergenses Lucra tulere, capit.
Auxilia in Fratrem hinc ut subsidiaria quærat
Anxius, ob causas has DITERICVS habet.
Landgravium HERMANNVM, Thuringica Regna te-
Convenit, ut Fratrem Marte domare juvet. (nentem
Abnuit HERMANNVS, sibi justam namq; deesse
Causam, in eum, qui non sit suus hostis, ait.
Sollicitando instat DITERICVS, Et acrius urget,
Affirmans, in eo quod sita tota salus.
Annuit HERMANNVS, de consilioq; Suorum
Respondit: Per se tum rata vota fore,
Si THEODORICO, Generum illius esse, placeret,
Atq; ejus Thalamum Filia Jvitta petat.

B

Sic

Sic etenim causam sese protendere honestam,

Posse, nec à Genero cedere velle suo.

Lippa fuit sed J V T T A, hebeti visuq, laborans,

Nec decus in membris, forma nec oris erat.

At Pietatis amans, & amans Probitatis, honestis

Moribus excellens, optima quæq, sequens.

Quid faciat? J V T T A M invitus D I T E R I C V S ama-

Et duxit: via quæ Prosperitatis erat. (vit,

A Socero adjutus nam Fratrem vicit, ab illo

Vi rapiens iterum, quæ sibi rapta prius.

” Sæpe quis oblatos stultè fastidit Amores,

” Et nescit, quid ijs commoditatis inest,

” Sæpe quis & formam tantùm & bona corporis ambit,

” Et nescit, multum sæpe subesse mali.

” Si pia sit, probitatis amans, & honesta Marita,

” Quam ducturus es, hanc duc, bona nulla cupe.

Semper erat pacis D I T E R I C V S amicus & equi:

Tunc ut erant, Sacris Ordinibusq, favens.

Inde Monasterium Philyres extruxit in Vrbe,

Ad Divum Thomam nomina nota gerens.

Sustinuit multorum odia hic innoxius: & sic,

Infido Medico dante aconita, necem.

an. 1222.

an. 1223.

Incepit regnare 1210.

Regnavit annos 13.

Obyit anno 1223.

Hactē-

Hactenus Marchiones: Sequuntur nunc Landgravij,
qui & ipsi Marchiones.

I V.

HEINRICVS MUNIFICVS SIVE IL-
LUSTRIS: AB VRBE FRIBERG.
conditâ Quartus.

POST subit HEINRICVS Diterici Filius, Heros
Clarus præ reliquis, Magnificumq; Caput.
Quo nulli nec Avi, Proavivè illustrius amplis
Ex opibus, Populis exhibuere decus.
Sub quo MARCHIONES petierunt alta, Thuringiâ
LANDGRAVII facti, primus ut ipse fuit.
Huic adeò fructus opulentos Vena refudit
FRIBERGÆ, audierit nullus ut antè pares.
Ut facile his, ibi tum vendenda, BOHEMICA posset
REGNA emere, & Regno consociare suo.
Finibus at proprijs contentus, plura tenendo
Nolebat curas ingeminare sibi.
Hec tamen excellens est Magnificentia, Opusq;
Non experta quod hæc Secla fuere prius:
Urbs jacet Hercinijs non longè disita Sylvis,
Illam NORTHVSIVM Lingua Cherusca vocat:
Convocat HEINRICVS Procere huc: inclita quorum,
Vult, specimen, Virtus edat ut, atq; decus.
Nec mora, construitur splendentibus Area signis,
Arbor & in medio stat preciosa loco.

B 2

A trunco

Certamen E-
questre Heinri-
ci Munifici.

A trunco ad ramos erat hæc insignis: & Aurum,
Et, Folia, Argentum, cuncta decenter erant.
Ex Fribergensi fuerat fabrefacta Fodinâ
Arbor ea: hinc fuerat copia dives opum.
Mox in eo campo Certamen initur Equestre,
Ut pulchræ certent Laudis honore DVCEs.
Si quis in adversum validis tam viribus Hostem
Tenderet, in Terras ille ut Equo caderet,
Alter at immotus, nec Equo turbatus ab alto
Esset, is ex Auro, præmia fert Folium.
Si quis at in Socium validis tam viribus Hastam
Impulerit, nec sit tergore lapsus Equi,
Nomine Victoris fractam decoretur ob Hastam,
Et Folium Argenti, præmia digna ferat.
Continuabantur multis hæc Acta diebus,
Hinc plausu pubes Nobilis exilijt.
Pars avet indutis Virtutem ostendere in armis,
Et tegit objectum pulchra Galera caput.
Pars ineunt, Bini, fictæ certamina pugnae,
Ingentes Hastas concutiuntq; manu.
Alternisq; trahunt spacijs retrahuntq; feroces
Quadrupedes, gyros ceu levis ales agit.
Pars sese excipiunt directis eminus Hastis
Fortiter, & cupiens cedere, nullus adest.
Turba favens dictis stat cirum plurima: fumat
Pulveribus Campus: dat Tuba clara sonum.
Expensos

Expensas ego in hac Sumptus Spectacula, nullum
Induperatorem ferre valere, reor
His tamen HEINRICO Fama indelebilis orta est,
Laude replens magnâ Solis utramq; domum.
Inde quoq; HEINRICI Nato, FRIDERICVS amatam
Filiam in Vxorem do tibi, Caesar, ajt.

Aggressus Regnum an. 1223.

Regnavit annos 39.

Obijt anno 1262.

V.

ALBERTVS SECVNDVS: QVIN-
tus ab Vrbe Frib. adificatâ.

Filius HEINRICO succedit in ordine Patri
ALBERTVS, fortis corpore, dives opum.
Sed non dote animi, non par Virtute Parenti,
Est à quâ dictus degenerasse nimis.
Duxerat in Sociam FRIDERICO Cesare Natam
MARGARIDEN, dans huic Jura Fidemq; thori.
Esseq; Conjugio hoc felix potuisset, avitos
Si mores, melius siq; secutus iter.
Sed multis Fortuna datur, non omnibus uti
Fortunâ: Faber est sic sibi quisq; mali.
Jura Fidemq; thori frangens, cum pellice suescit
Eisenbergiacâ, concubitusq; patrat.
Ex quâ Natabus cum binis Filius illi
Nascitur, Apitius nomine, prorsus iners.

B 3

Flagitijs

Anno 1270.
Margaretha
Frideric Imp.
filia discedit ab
infido Marito.

Flagitijs istis generosa offensa Marita,
Anxia discessum, nocte silente, parat.
Structa suae vitae subolens discrimina: quando
Succedente novâ tollitur omnis amans.
Ergo morata nihil, statuit vitare furorem,
Conceptum, exilijs, insidiasq; Viri.
Inde valedictura suis maestissima Natis,
Ultima discessus oscula ferre parat:
Qui FRIDERICVS erant, nec non DICEMANNVS, amore
Legitimo nati concubituq; Patris.
Nox erat, & placidam capiebant fessa quietem,
Corpora per Terras, pressa sopore gravi:
Et medijs, inverso plaustrum temone Bootes
Duxerat, emensus sidera certa, poli:
Fidus adest Senior, cautè pulsatq; Cubile,
Integra cuius erat cognita saepe fides.
Et poscit Dominam nunc surgere: tempus adesse,
Si vellet tacitâ se dare nocte fuga.
Illa, cui insomnis fuerat Nox, atq; petitus
Palpebras vigiles nollet inijisse sopor,
Exilit, & paulum meditata: Quid? ibimus? inquit,
Ibimus, intrantes ad loca tuta viam?
Sic sic ire juvat: Moeni, Franckfordia Claustra,
Virginea, & Mundi nescia, nos capient.
Exilio mutare juvat discrimina vitae,
Væ tamen Auctori flebilis exilij.

Sic

Sic gemebunda ait: aſt Oculis cadit humida gutta,
Atq; doloriferis roribus ora rigat.
Mox tamen ad Natorum, (illos ſopor altus habebat,)
Lectos poſtremum lumina mœſta tulit.
Amborumq; genas molles, parvosq; lacertos
Complexa, illi nunc oscula, nunc dat huic.
Oscula DITZMANNO ceu crebra: ita crebra FRIDRICO:
Et lachrymæ, in vultus, matris, utroſq; cadunt.
Poſtremò FRIDERICI iterum propè fulcra recumbit
Cernua, (in Affectu viſ ſita quanta pio eſt.)
Admovet os ori: rursùm: rursumq; tenello
Admovet os ori: milleq; in oscula ruit.
Dum tandem Malam nimis arctè apprehendit, & hærens
Morsu, non parcit ſtringere dente cutem.
Vtq; videt vulnus, Patris hæc crudelia ſerva
Munera: ſed noſtri pignus amoris, ait.
Diſta fides ſequitur: fuit Huic dum vita, cicatrix,
Matre, genæ admorſæ, vaticinante, fuit.

ET nunc liberius, cuſtode Vxore remotâ,
Albertus thalamis utitur illicitis.
Vult, illegitimè ut natus, ſit Marchio Miſnæ,
Supremum quando clauſerit ipſe diem.
Abdicat hæredes Natos, Regione Bonisq;
Extorres, Populis vultq; carère ſuis.

Vsq;

55 *Vsque adeò Satana impulsu qui cecutit uno*
 22 *In scelere, is tandem cæcus in omne ruit.*
Non tulit hæc generosa animo patiente Propago
Bina, exosa scelus grande dolosq; Patris.
Nec mora, in Exilium cum Mater & ire coacta,
Ipsi deberent & caruisse bonis,
Misniacas Terras adeunt, gratiq; Colonis
Adveniunt, & ibi propria Regna locant.
Hæc ubi rescivit Genitor, capit Arma, repellat
Hostili ut Natos, finibus hisce, manu.
Diripit, incendit, villas prædatur & urbes,
Abducit pecudes & populatur agros. (nam
Heu factum infandum: heu scelus intolerabile: quo-
Dire Parens, non hoc nomine digne, ruis?
Marte quid immeritos injusto affligere Natos
Tendis? & in clades Teq; Tuosq; dare?
Quis miserum implevit pectus furialibus ausis?
Cur Soboli es cunctis seuior Hostis hydris?
Vt videas ejecta procul tua pignora terris,
Sedibus incertis illa vagare volens?
Proijce tela manu: tuus est hic Sanguis: in arma
Contra quos surgis, Sanguis hic estne tuus?
Proijce tela manu: bello desiste feroci,
Pax sit amica Tibi: pax sit amica Tuis.
 22 *Sed nihil est: proprium exitium dum concidat, amens,*
 22 *In Caput, haud cessat fanda nefanda sequi.*

Apostrophe ad
Albertum pu-
gnantem con-
tra Filios.

Sic

Sic furit ALBERTVS, Lupus ut stimulante furore
 Ventris, per nemora & jugera sevus abit.
 Esuriensq; vago ponit vestigia lastro,
 Et clausum rabido circumit ore gregem.
 Donec oves tandem pleno deprendat Ovili,
 Tum miseras rictu, cæde madente, vorat.
 Nec satis Alberto est, ipsum seuire ferocem.
 In Natos flammis, exilio, ense, minis:
 Sed, Brandburgiacus, cupit, ut sibi Marchio JANVS
 Auxilio veniat, suppetiasq; ferat.
 Is venit: at quid tum? DICEMANNVS viribus acer
 Fortibus, ex Philyres urbe paratus adest.
 Et Sexcenta armis hostilia corpora sternit,
 At reliquam partem vix fuga salvat iners.
 Mox iterum ad Luccam DICEMANNVS strage cohort-
 Ingenti fundit, dat miseræq; neci. (tem
 Mille ibi Septenos capit, & Ter Mille trucidat:
 Sic hostes binâ nunc cecidère vice.
 Tertiâq; accessit propè Haynum, ubi milite cæso
 Hostili innumero, ter DICEMANNVS ovat.
 Strage hâc ALBERTVS se habuit male triplice, stans
 Principia, in terris Tyrigetumq; latens. (post
 Damnaq; perpeffus dubitat, nùm militet ultra
 In Natos, Belli an, Pace, retractet Opus?
 Non retractat Opus sed Belli Pace: latenter
 Infestat Natos sub ratione novâ.

Dicemannus
 vincit aliquo-
 ties Hostem.

C

Misnia,



Albertus ven-
dit Ditionem
suam Adolpho
Imperat.

Misnia, Lusatia & Libanotria splendida, Sedes
Natorum, assensu sed sine Patris, erant.
Hos Tractus Pater, ut proprios, male fidus Adolpho
Induperatori vendit & are locat.
Id facit invidia morbo, eijcerentur ut inde
Nati, nec tumeant ob sua Regna magis.
Principium fervet, Tractus & Adolphus adortus
Vi, velut Albertus fecerat ante Pater.
Diripit, incendit, villas praedatur & urbes,
Abducit pecudes, & populatur agros.
Sed diuturna velut nulla est violentia: Adolpho
Sic ingens fastus magna ruina fuit.
Obvius huic tendit FRIDERICVS Marchio, ut Heres
Legitimus, (Frater clauserat ante diem.)
Fortiter in Suevos & Adolphum pugnat ut Hostes,
Atq; cadit fervens, omine, pugna, bono.
Corpora mille necat Suevorum, & Turba Cohorsq;
Quod nuper, per humum tota Cadaver erant.
Millia bina capit: modo libertate superbi
Jam dant captivas in fera vincla manus.
Omnia ita in melius FRIDERICVS rettulit: altis
Montibus ut Terrens lapsus ad ima ruit,
Per Campos, per Prata fluens, secum obviam quaeq;
Arripit, & magno in Tecta fragore cadit.
Aut sicut Zephyrus siccas invadit arenas,
Tum levia effertur pulvis in alta volans.
In gyrosq;



In gyrosq; trahit Boreas retrahitq; saburras,
 Cumq; atomis ludit ventus & aura levis:
 Sic Hostes FRIDERICVS agit, sic fervidus instat
 Cervici, meritas ingeminatq; plagas.
 Quam facile est, fautore DEO, sibi damna parantes
 Vlcisci, innocuis, & dare damna reis.
Hic FRIDERICVS is est, tibi plura, Friberga, seor-
 Si nescis, quondam qui benefacta tulit. (sim,
 Cesserat è vivis nunc expugnator Adolphus,
 Subdiderat qui Urbem vig; doloq; sibi:
 Ductus avaritiâ, Argentiq; cupidine fossi,
 Divite quod fructu foeta Fodina dabat.
 Munieratq; Urbem Suevis, qui fanda nefanda
 Patrabant, & atrox Civibus ulcus erant.
 Hic cum finierat vitam, Dominator & alter,
 Albertus, cinctus milite, Cæsar adest.
 Hic itidem illectus spe Venæ, possidet Urbem,
 Largifluæ quæ tum fertilitatis erat.
 Quâ Fossor factururus iter per viscera terræ,
 Argentum mox sub cespite dives adest.
 Inventos Hic eâ conservat in Vrbe Suevos,
 Qui Defensores sint, Vigilumq; loco.
 O Defensores cum magnâ clade, scelestos
 O vigiles: o quos ima dehiscat humus.
 Exterus hic Populus quantum impietatis in Vrbe
 Exercebat? ijs quanta Tyrannis erat?

C 2

Ludere,

cc
cc
Adolphus Im-
perator expu-
gnaverat Vr-
bem Frib.

Post Adolphum
urbem possidet
Albertus Imp.

Suevorum Sce-
lera in vrbe
perpetrata.

Ludere, scortari, potare, vorare, DEV Mq̄
 Blasphemare, iocus quotidianus erant.
 Disscisis tunicis media usq̄ ad Corpora, Virgo
 Fœminaq̄, ante illos stare coacta fuit.
 Ire Viri nudi, Juvenes operasq̄ coacti
 Serviles facere, & nulla verenda tegi.
 Non indignari tamen ex tam turpibus Ausis
 Aut aliquem, aut aliquam, Suevica Lex voluit.
Misnicus ista sciens Heros, FRIDERICVS, in iras
 Candescit justas, bile graviq̄, tumet.
 Ut Leo, qui charos Catulos relliquit in antro,
 Et prædam, indigat per nemus omne, Feras.
 Mox notum repetens antrum, cum forsan ademptam
 Non cernit sobolem, rugit ut antro sonent.
 Lustransq̄ horrendum sylvas & rura peragrans,
 Fulmineo oblatas enecat ore feras.
 Haud secus illustris, scelera hæc ob Suevica, Princeps,
 Indignabundo pectore sævus adest.
 Misnica cui Regio cum FRIBERGA Vrbe, paternâ
 Obtigerat sorte, & prospiciente DEO.
 Abstulerat sed vis hostilis, ut Inclytus, absq̄
 Nunc terris Dominus, nomen inane gerat.
 Ergo animi præceps, affecturusq̄ salute
 Et sese & Cives, aptat ab arma manus.
 Mox jubet, ut circum Tuba muros intonet, & vult
 Ut, pulsus Suevis, Porta sibi pateat.

Fribergam
 Fridericus Mar-
 chio recupera-
 re nititur.

Id mo-

*Id nolunt Cives: Rigidis citus advolat armis
Ergo Heros, & vi rem gerere instituit.
Mœnia, castra locat, propè: Fossam mœnia circum,
Et terrâ, & saxis, arboribusq; replet.
Ad muros ubi stravit iter: non missile telum,
Non hastas, sclapetras, saxa timere jubet.
Sed jubet, ut Muris, strato aggere, fortiter instent,
Et tremulos faciant funditus ire ad humum.
Protinus ecoe ingens, crebro pulsatus ab ic̄tu,
Ingenti lapsum pondere murus agit.
Hic quantum tentat Princeps irrumperè in Urbem,
Exclusum tantum Civica turba studet.
Ah, tot acerba, DEVS, numeret quis Funera? Fossa
Plena quibus: fuso plena cruore loca.
Post varias tandem cedes victoria cedit
Heroi, indubiè sic statuenta DEO.
Tum verò Suevi multum extimùere feroces,
Demissis animis iam veniamq; petunt.
Quos DVX terrificis verbis commissa cohercet
Ob Scelera: imponens accelerare fugam.
Ære sed expenso gemebundam solvere vitam
Cogit eos: hinc, rem, dicit, adite malam.
Non mirum, in Furnos, non inq; Cadavera equorum
Repsisse, ut factum, Lucca ubi capta fuit.
Sed debellatos in Cives mitior Heros,
Immemor offense, dat veniamque citam.*

C 3

Defen-

Civium acris
pugna cum
Frider. Mar-
chione.

Expugnata
Urbs à Fride-
rico.

Encomium
Friderici Mar-
chionis.

Defendendo suos iterum agnoscitq; Clientes,
Et, quâcunq; potest parte favere, favet.
Laus tibi Misniace ò PRINCEPS, mitissime Ocelle,
Quod Vindex hujus strenuus Urbis eras.
Sub Suevis ut erat facies tristissima rerum,
Sic Tu, quâ potis es parte juvare, juvas.
Omnipotens olim tibi præmia digna rependet,
Interea sub humo molliter ossa cubent.

HOC & adhuc addo: acceptum debere referre,
Huic, hodiè quos fert Saxonia Aula DVCES,
Tyrigetum Terras quod adhuc, & Misnidos Oras
Usq; hodiè propriâ sub Ditione tenent.
Hic etenim amissum vi restituisse volebat
Imperium, & recto, sicut it, ire pede.

Incepit regnare 1262.

Regnavit annos 33.

Mortuus anno 1295.

VI.

FRIDERICVS FORTIS, CVM ADMOR-
SA GENA: SEXTVS AB VRBE
Friberg. Conditâ.

Filius Albertum sequitur FRIDERICVS: a vitâ
Virtute illustris qui celebrisq; fuit:
Non patriâ: nam Patris erat paucissima Virtus,
In Capite ut dictum est anteriore satis.

Hic qua-

Hic quale Exemplum fuerit jam sortis iniquæ
Jam lætæ, in Titulo Musa priore refert.
Viderat Alberti clara Vrbs Erphordia Funus,
Rescivit postquam Filius hujus idem,
Milite cinctus adit Thuringica rura, capessens
Regna: suo Fratri & debita Regna Sibi.
Ast illegitimum Apitium depellit, haberet
Ne quod Jus, voluit sicut habere Pater.

Regnum aggressus an. 1307.

Regnavit annos 20.

Mortuus an. 1327.

VII.

FRIDERICVS SECVNDVS: SEVERVS
SIVE GRAVIS: AB VRBIS FRIB.
edificatione Septimus.

FOrtem subsequitur Natus nunc Stirpe Severus,
Nomine FRIDRICI dictus uterq; fuit.
Pacis amans & uterq; fuit, si facta potestas,
Si non: intrepidi, sumere Martis opus.
Militiæ arte pares: ast hic non tantaq; totq;
Ut Pater, exhaust Bellæ, labore gravi.
Fama refert, mortem ut LVDOVICVS Cæsar obisset,
Romani Imperijq; inde, vacante loco.
Hunc ELECTORVM consensu & voce vocatum
Vnanimi, Regni qui Diadema ferat.

Non

Frider. III.
detrectat Dia-
dema Imperij.

Non ego, respondit sed: condecorandus honore,
CAROLVS, hoc, Rex præ me quia Quartus adest.
Imperij celsas sic detrectavit habenas,
Illis antetulit sed mediocre decus.
Et fuit in causa Rex CAROLVS ipse: Columna
Regni, præ reliquis, qui fieri alta volens,
FRIDRICVM accedit, dat denaq; Mille Talenta
Argenti, ingeminat cum precioq; preces,
Omnem Justitiam, & sibi, Jus, hoc vendat ut ære
Imperij: Fiat, mox FRIDERICVS ajt.
Ludicra sed res hæc, hæc mangonaria pacta
Valde ELECTORVM displicuere choro.
Et Schwartzburgensem GÜNTERVM, stirpe Baronem,
In Regis vacuum substituere locum.

Accessit regnum. an. 1327.

Regnavit annos 22.

Obijt anno 1349.

VIII.

FRIDERICVS TERTIVS: STRENNVVS:
AB VRBIS FRIBERG. EDIFI-
catione Octavus.

Succedit Soboles FRIDERICI clara Severi,
Tertius & nunc hic Nominis hujus erat.
Strenuus hic verè FRIDERICVS nomine reg,
Latrones abigens è Regione, fuit.

CAROLVS

CAROLVS Hunc Quartus coluit, Commilito namq;
Induperatoris tunc animosus erat:
RVSSENVM contra cum belligerare Plaensem,
Nariscum, insignem stragibus, esset opus.
RUSSENVS suasu Uxoris (parere coacte
Uxori, ut nunquam res operosa Viro est)
Nobilium ex Aulis sibi fecit Ovilia, Caulas,
Arcibus expulsâ Nobilitate suis.
Eckhartsbergensem plenam Prædonibus Arcem
Diripuit, Vermes dissecuitq; malos.
Latronumq; alium Nidum extirpavit, in oris
Oppiduli Dornburgk, Sala ubi voluit aquas.
Atq; alium: cujus memini non nomen. Iniqua
Noluit hic Princeps non potuitq; pati.
Est DVCS excelsi populi prohibere pericla
Et Latrocinij nullibi tecta dare,

Incepit regnare 1349.

Regnavit annos 32.

Mortuus anno 1381.

IX.

BALTHASAR: NONVS AB

Vrbe Frib. conditâ.

Filius est alter nunc BALTHASAR iste Severi
FRIDRICI, Fratris Regna locoq; capit.
Hujus ut in duro virtus est cognita Bello,
Sic etiam miti cognita pace fuit.

D

Marte

Quis fuerit
Russenus.

”

”

Marte Doringiacas Latronum diruit Arces,
Cum Jure hos caperet Divisionis agros.

Opposuit semper se acrem Prædonibus hostem,
Nullibi non quorum vis truculenta fuit.

Hos citò vicinâ suspendit ab arbore Vermes,
Quamprimùm illorum copia facta fuit.

“ PRINCIPIS est virtus, genus extirpare Latronum,
“ Sæcuris omnes stent ut eantq; vijs.

Ingressus Regnum an. 1381.

Regnavit annos 25.

Obijt mortem anno 1406.

X.

WILHELMVS COCLES: DECIMVS
ab Vrbe Friberg. conditâ.

TRina WILHELMVS hic est Soboles generosa Se-
Non virtute minor Fratribus atq; Patre. (veri,
COCLITEN hunc dicunt, uno quod Lumine luscus,
Ceu Lingua Vnoculum trita vocare solet.

Sic Oculo orbatus sed dicitur: (annè reverâ
Sic factum, Lector judicet, annè minas.)

Misnensi Clero cum restrinxisset avitos
Census, & Redituûm debilitasset opes.

BENNO, Semideum quem Turba Papistica fecit,
In Somno apparet, per simulacra, DVC I.

Hunc terret, gravibusq; minis Factum exprobrat, &
Fraudasset Clerum, redderet omne, jubet. (quo

Negligit

Historia de
Vilhelmo
Coclite.

Negligit hic Jussa, & secum: Res somnia vana,
Quae Stultos fallunt credulitate, refert.
Ablati nec hilum vult reddere: Episcopus ore
Visibili BENNO donec & ipse redit,
Ardentemq; Facem secum fert, fervidus irâ
Illuditq; oculo PRINCIPIS, ista loquens:
Ablatum nondum vis reddere? reddere ni vis,
Hanc ut, ita aeternas mox patiêre Faces.
Evigilans PRINCEPS, Oculo quod redditus illo
Sit cæcus, sentit, seraq; damna dolet.
Utq; satisfaciat jussis BENNOMIS, & uri
Æternâ flammis à Face non sit opus,
Instituit Clero Duo Spiritualia Feuda,
Duplo compensans omnia rapta prius.
Feuda sed hæc sacra Triados sancivit ad Aram
Misena, post sunt condita ubi Ossa DVVIS.
BALTHASARO cum Fratres, simul qui Regna tenebat,
Vnanimi mentis glutine junctus erat.
Quodq; aliàs rarum est, quicquid fiebat iniquè
Huic, sibi ceu factum, vindicat Alter idem.
Floruit hac Regio Fratrum sub Pace: Salutem
Et subjecta cohors hanc retulere suam.
Hercinias terras adit hic cum Fratres WILHELMVS,
Et loca ab insidijs tuta metuq; facit.
Nam Latronum illic frangit malefacta, juvatq;
Indigenas tutas ire redire vias.

D 2

Cum

Cum sibi subiectos PRINCEPS defendit, & à vi
Liberat, ipse etiam nulla pericla subit.

Adijt Regnum an. 1406.

Regnavit annum Vnum.

Mortuus anno 1407.

Inter nunc sequentes Marchiones & Landgravios
plurimi sunt ELECTORES.

XI.

FRIDERICVS IIII. BELLICOSVS: PRI-
MUS ELECTOR: VNDECIMVS AB
Vrbis Fribergens. edificatione.

Primus hic Elector FRIDERICVS, Forte creatus
FRIDRICO, Princeps fortis & ipse fuit.
Est Bellator ob id dictus: Commilito quonam,
Caesaris, impensè quem SIGEMVNDVS amat.
Ensiferum Decus hinc jungens & Jura creandi
Induperatoris, condecoravit Avos.
Ad quorum Titulos & clara Insignia confert
Clarius hoc, nitido quod micat Ense manus.
Penè Puer Bojos tremere ob victricia Signa,
Fecit, & à teneris vis animo acris erat.
At postquam firmata Virum jam fecerat etas,
Fulmen erat, Sternens obvia quaeq; sibi.
Castra SIGISMVNDI sectans, tulit arma Bohemis,
Quos domuit, qui tum Turba rebellis erant.
ELECTORATVS tulit hic Decus atq; DVCATVS,
Sicut adhuc hodie Saxonia AVLA tenet.

Quod

Quod tulerit dignè, Feudale Diploma recenset
 CÆSARIS, Heroi pectoris Acta loquens.
ID quoq; præclarum gessit, cum prælia Musæ,
 (Nam non Hospitium Martis & Artis idem est)
 PRAGENSES, inquam, Musæ cum Bella timerent,
 Direpturi essent Hereticisq; Scholam:
 Et Studia errarent hinc inde vagando, benigno
 Primus hic ELECTOR suscipit Hospitio:
 Tutaq; prospexit Philyres considerare ad Urbem,
 Jam quoq; ubi studijs docta Juventa vacat.
 Hinc velut ex Tempe flores exurgere constat,
 Omnia mellifluo qui loca odore replent.
 Gloria PRINCIPIBVS magna est, avertere Bella,
 Et placidæ Pacis commoda grata sequi.
 Major: Cancellis Legum prohibere nefanda,
 Cunctaq; metiri Præside Justitia.
 Maxima sed: Sævâ cum Tempestate Camœnas
 Luçtantes placidi Sede fovere loci.
 Ne Studijs veniat tandem exitiosa ruina,
 Sed salvo vigeant incolumiq; statu.
 Vnde sacris sit honor Templis, adsintq; Ministri,
 Dogmata qui Verbi limpidiora sonent.
 Vnde locus quoq; sit Consultis Juris & Æqui,
 Ut sit, Justitiæ, Curia & Aula, domus.
 Nec desint, quorum studium est avertere Morbos,
 Aversos herbis si velit ipse DEVS.

Fridericus I.
 Elector Scho-
 lam Pragen-
 sem transfert
 Lipsiam.

“

“

“

“

“

“

*Ex Studijs omnes hi publicâ Commoda præstant,
Propter eos Studijs ergo feratur honor.*

Regnum adiit anno 1407.

Regnavit annos 22.

Obijt mortem anno 1423.

XII.

*VVILHELMVS SECVNDVS: DVODE-
cimus ab Vrbe Frib. conditâ.*

N*ominis hujus hic est Alter cum laude VVILHELMVS
FRIDRICVSQUE, Pater, Strenuus, ejus erat.
Huic etiã & Fratri FRIDERICO junctio primùm,
Primo ELECTORI Saxonie, arcta fuit.
Astitit huic fidus Commilito, quando Bohemis,
Nec non Hercinijs intulit arma locis.
Ut tamen & Fratrum diuturna est gratia rarò,
Sic, hos Illustres, contigit, inter, idem.
Vrbis erat Regimen par, æqualisq; potestas
Ambobus, neutri propria sola DVCI.
Vult tamen esse sibi propriam FRIDERICVS, & uni
Det nova vota sibi, postulat ore minax.
Dumq; uni nova vota dari sibi postulat, omni
Jure suo cedat, posco, Vuilhelmus, ait.
Quid faciant Cives? terrentur, & ipse Senatus
Anxius, hinc miseris fluctuat inde modis.
Horrendo veluti tremefiunt Fulmine Montes
Dum tonitru aëreo tota remugit humus.*

*Disceptatio
Friderici Ele-
toris & Fra-
tris Vuilhelmi
de vrbe Fri-
bergâ.*

Aut

Aut sic, aut etiam magis intremuere Coloni
FRIBERGÆ, & pavidus concutit ossa metus.
Inprimis sed Canities veneranda Senatus
Afficitur, Fratrum dissidioq; dolet.
Quis furor ò FRATRES? quæ tanta licentia mentes
Corrumpit mites? Causavê tanta movet?
Num Natura vetat Fratres decernere Ferro?
Et jubet unanimes parcere utrinq; sibi?
Ah DOMINI, nolite manus conferre: pericla,
Ni desistetis, mille parata latent.
Talia pro se quisq; refert, & mallet, obortos
Sopiri motus, quomodocunq; queant.
Interea insignes generalis CVRIA Patres
Convocat, afflictum mente movetq; statum.
Semianimes illi, seu dicere sive tacere,
Non possunt, inopes Consilijq; sedent.
NICOLEVS tandem surgit VUELLERVS ad omnes,
Qui tum collato Munere Consul erat.
(VUELLERE, ò magnam cui fert Facundia laudem,
Et prudens tinxit cana Senecta caput.
Os quoties cœleste moves, linguamq; disertam,
Exuperas dulci Nestora voce senem.
Suavior Hybleo tibi copia melle redundat,
Verbaq; ceu densis imbribus acta fluunt.)
Hic inquit: FRATRES, ò nos mora nulla retardet,
Dv x decreta animi deproperare jubet.

Vos

Laus Dn. Ni-
colai Vuelleri
Consulis.

Constantia Vr-
bis, quæ VVil-
helmum noluit
abdicare.

Vos si ut ego, vultis, mea stat sententia, nunquam
Nos semel addictam frangere posse fidem.

Non perjuri erimus: nec Fœdera pacta VVILHELMO
Rumpemus: vel Mors ipsa sit ante oculos.

Si Mortem patiemur ob hoc, patiemur honesti,
Et non perjuros Secula sera canent.

Si mecum sentitis idem, date pignora Dextras:
Ipse modò hæc coram commemorabo DVCE.

Assensere omnes: est & data Dexteræ Dextræ,
Velle pati pariter vel bona, sive mala.

Assumunt Vestem Funebrem Quisq;, parati
Ferre, suos si sit Supplicium ante pedes.

Ordine procedunt longo ELECTORIS ad ora,
Qui Fora servabat Milite vectus Equo.

Hoc coram VVELLERE Senex edisseris omne
Decretum mentis, Propositumq;, tenax.

Proq;, rei profers tales gravitate Logismos,
Vana tui ut fuerit vocula nulla soni.

Et vestem ostentas, quo letho functa teguntur
Corpora, nil metuens ob tua Pacta mori.

Edita testatur cultis Oratio verbis

Suadam ipsam, credo, quam recitasse Viro.

Audito ELECTOR visq;, ardore, tenendi,

Id, quod honestatis, laudis & esset, opus,

Approbat egregium Factum, dextrâq;, levatâ

In VVELLERI humeros, talia verba refert:

Eja

Eja agite ô Cives, ego Vos jam testor honestos,
Atq; bonos: eja pergite, & este boni.

Fidimus in Vobis Ego nunc, Fraterq; *VVILHELMVS*,
Tempore erunt vobis premia digna suo.

Dixit, & abstinuit post à crudelibus Ausis,
Cum toto & placidus Milite, rursus abit.

Disce Statum Cause Lector cognoscere, de quâ
Ambigua, an bona sit, nùm mala, Bella geris.

Exurgit sola & *TANDEM BONA CAUSA TRIVM-*
Sed mala, vel centum fraudibus acta, perit. (*PHAT,*

Capit regnare an: 1423.

Regnavit annos 39.

Obijt 1464.

XIII.

FRIDERICVS V. PLACIDVS: SE-
CVNDVS ELECTOR, DECIMVS TER-
tius ab Vrbe Frib. conditâ.

Hic Quintus, dictus *FRIDERICI* nomine, Proles
Primi Electoris qui generosa fuit.

Non virtute minor Proavis, & fortibus Ausis,
Hostibus, infractis viribus, acer erat.

Debella vit enim robusto Marte Bohemos,
Marchiacosq; suo contudit Ense feros.

Plurima subjecit sibi Propugnacula & Arces,
Que Tutamina erant Hostibus apta suis.

Huic quoq; Dissidum fuerat cum Fratre *VVILHELMO*,
Sed caruit, demptum Pacis amore, morâ.

E

Hinc

Eja

Hinc P L A C I D V S dictus cognomine: mitis in omnes,
Semina quòd mentis non odiosa tulit.
Hujus cum Natis, Ernesto, qualiter actum,
Et Fratres, ex Scripto posteriore patet.

Hic & W I L H E L M V S Frater, mox se-
quens, simul regnarunt: Accesserunt Re-
gnum, anno 1464. Obijt FRIDERI-
CVS anno 1483.

XIIII.

W I L H E L M V S T E R T I V S: A C O N D I T A V R B E
Frib. Decimus Quartus.

Tertius est bujus nunc nominis iste V V I L H E L M V S,
Anterior, Frater cui, FRIDERICVS, erat.
Ambo E L E C T O R I S primi generosa Propago
Quæ virtute suum est usq; secuta Patrem.
Utq; prius dictum est, inter Fratrem huncq; V V I L -
Semina Dissidij se exeruere gravis. (H E L M V M
Ipsis quod poterat non parva incommoda ferre,
Et latâ Populis strage nocere suis.
Hujus A P O L L O N I V S Vicethumius autor, ut atrox
In Bellum erumpat, Fax fuit atq; Tuba.
Jamq; Acies instructa fuit, sevisima spirans
In Fratrem Fratris bella, necemq; minans.
Sed semper vetuere boni, qui Pacis amantes
Extinxere minas, Dissidijq; faces.

Ardentes

*Ardentes odijs aliquando, & Castra locantes
 Pacifici usq; adeò composuere viri,
 Hic ut in illius conspectum in Colle veniret,
 Verbaq; inaudirent alter ut alterius.
 Tum paucis dictis, Dextra data Dextera: & alter
 Complexum alterius præcipitando petit.
 Utq; hic in illius ruit oscula dulcia, inhaeret,
 Ut ligat humanos tortilis alga pedes.
 Nec sic appositis vincitur Vitibus Ulmus,
 Hos Fratres vinctos qualiter esse iuvat.
 Cominus ista videns spectacula Exercitus, astans,
 Mirificis Facto plaudit ovatq; modis.
 O bene nunc, inquit: Nobis bene, Pace paratâ
 Sublatis Bellis: Principibusq; bene.
 Conventum PORTAM, quâ nunc Illustris habetur
 Ludus, Magnifici constituere DVCEs.
 Confirmetur ut hic sua Pacificatio, sitq;
 Fraternalis posthâc indubitatus amor.
 Idq; ibi cum factum, letus quidam omine fausto,
 Vir bonus, in Solio talia verba notat:
 Non confundetur, male amicis quando loque-
 In PORTA: alluso Res ea digna loco. (tur*

*Vvilhelmus
 III. & frater
 Frider. placidus
 Elect. prius sibi
 insensu inter se
 conciliantur.*

Psalm 127.

XV.
 ERNESTVS: TERTIVS ELECTOR: DE-
 cimus Quintus ab adificatione Urbis Frib.

E 2

Electoꝝ

Elector, Placidi FRIDERICI Filius est hic,
 ERNESTVS, celebris laude, Patremq; sequens.
 Namq; bonis ut erat placabilis atq; benignus,
 Sic satis in pravos ore severus erat,
 Cæsareum Solium Alberto cum Fratre petebat,
 ELECTORATVS cum data Feuda capit.
 Vnius Albertus spacio Anni mansit in Aulâ
 CÆSARIS, hic plura ac in patria æde, videns.
 Sed Patriam ERNESTVS rectorus, Marteq; pravos
 Tyrigetas subigens, ad sua Tecta redit.
 RÛSSENV M domuit, qui Caulas fecit oviles
 Ex Aulis, pulsâ Nobilitate bonis.
 Prædia, magnificasq; Domos hic condidit ære,
 Arces: Schwueinitium, Pelitiumq; : gravi,
 Ante obitum parvo quoq; tempore MAXMILIANO
 Adfuit, Imperij cum Diadema tulit.
 Indivisa habuere diu bona singula Fratres,
 Subjectis felix & fuit inde status,
 Sed bona post ubi sunt partiti singula, partes
 In dubias Populi cessit & ipsa salus.
 Saxonici Regni duplex hic linea cœpit,
 Divisisque bonis hæc hodiè usque manet.
 Quid memorem varios casus, tutamina Fratrum,
 Quid varia, Excelsi præstita ab arce DEI?
 Quis tibi tam dirum, confidentissime, Damon,
 Persuasit, Caufung, Flagitium atq; Scelus?

Cæperae

Ceperat Elector FRIDERICVS Bella VVILHELMVM
In Fratrem, sed ab hoc Vrbs Gera capta fuit.

Reddere at ille sibi vult, obsidione locatâ,
Vrbem, non parcens vivè dolovè malo.

FRIDRICO ante Vrbem bini capiuntur Equestres,
Quorum operâ Princeps sæpius usus erat.

Vnus NICOLEVS PFLVGK: cui DVX protinus era,
Solvendi vitam nomine, lóteg. dedit.

Alter CONRADVS CAUFVNG: à PRINCIPE latum,
Ob justas causas, cui nihil aris erat.

Infremit hic odijs: à corpore PRINCIPIS ipso
Damna recepturum se sibi lata, minans.

Credita res paucis, & juramenta minarum
Deliramenti sunt reputata loco.

Sed non, quantumvis parvus, bene temnitur Hostis,
Quin etiam Muscis ira sua esse solet.

Sic temptus Caufung magis excandescit in iras,
Atq; Scelus secum premeditatur atrox.

Fortè die Festo Phiryres FRIDERICVS ad Vrbem
Tenderat, & nihili non erat illud iter.

ALDENBURGIACA sed liquerat Arce pusillos
Filiolos, Matris pignora chara, Duos.

Vtq; solent Servi, Domini quando adibus absunt,
Exspatiari, hausto perluere osq; mero:

Aulâ sic, Aulæ quis credita cura, . Ministri
Exierant, plenis se dederantq; Scyphis.

De Causâ Con-
radi Cau-
fungi.

”

”

”

”

Schvualbius, hæc, Aule coquus, omnia nunciat ipsi
 Caufungo, cum quo fædera pactus erat.
 Nec mora, dum tempusq; sinant ac hora, nec Aule
 Adsit solliciti provida cura Patris,
 Limina nec servet Custos, madefactus Jaccho
 Somnifero: Socios, inquit, adesse volo.
 His aderat Prædo comitatus, pectore fidens,
 Suspensis plantis ostiaq; Arcis adit.
 Jamq; ferè medios Nox egerat humida cursus,
 Et fessæ in terris discubuere Fera.
 Quin etiam Vigiles tum (nec res ista latebat
 Prædones) passim disiacuere thoris,
 Ut somno efflarent Bacchum, quem larga dedèrunt
 Illo, ceu magno flumine, pocula die.
 Tum verò tentant ascendere Mœnia rupe,
 Ascensu facilis quâ sibi visa via,
 Et quo ferre pedes aditu valuere labantes,
 Exuperantq; Arcem, quo voluere, loco.
 Invaduntq; illam somno vinoq; sepultam,
 Claustra DV CVM sed mox interiora petunt.
 Inveniunt Pueros, FRIDERICO Principe natos,
 Lumina quîs fuerant pressa sopore gravi.
 Spectatâ Pueros formâ, quîs lactea Cervix,
 Lactea frons: similes ore Genisq; rosis.
 Qualiter Aligeræ pinguntur corpora Turbæ,
 Humanis oculis sæpe videre data.

Conrad. Cau-
 fungo rapit duos
 Saxonie Du-
 ces, Ernestum
 & Albertum.

Huc

Huc se prona infert Latronum audacia, & ambos
Surripit: O Mater, voce rogante, ubi ubi es?
Sed frustra O Mater: Matris Conclavia namq;
Exterius Nebulo clauserat obijcibus.
Egrediendi illi quis copia dempta: sed aure,
Percipiens strepitum, Furta timensq; DVCVM,
Parce mee Soboli Caufunge: per Atria clamat,
Parce, inquam, tua Res cuncta futura bona est.
Ille sed haud parcens, MOSENO tradidit Vnum,
Alter CONRADO, praeda petita, manet.
Diversis fugere vijs, non multa morati,
Vecti in Equis Noctis per tenebrasq; ruunt.
Interea Famulae dant femineos ululatus,
Et miseris miscent atria celsa sonis.
Ipsa DVCISSA animum percussa pavoribus, huc nunc,
Nunc illuc, nullâ Sede morata, ruit.
O Aprum, exclamans, nuper per Somnia, vites
Qui nostras, visus, dilacerare, mihi est.
O cecae mentes, nemo mihi credidit: Omnes
Dixerunt: Nil sunt Somnia, & absq; fide.
O caruisse fide quam vellem Somnia: sed dum
Non caruere fide, vinea nostra perit.
O Caufungum Aprum, quo vastatore tenellis
Vitibus imminuit Mors, & amara lues.
Et poterat mansisse domi DVX tutius: itur,
Nescitur, quae sint damna timenda domi.

Nunc

Somnium Du-
cisse de Apro.

Nunc Vos ô Nati, mea pignora chara, valete,
Sed cur occisos, opto, valere bene?

Spero valere tamen, vitæq; valere perenni
Ante DEVM, innocuâ dum periëre nece.

Interea spacia emensus perlonga viarum,
Causfungus, Luci per loca opaca venit.

Hic solvebat Equum, carpenda ad pabula, fessum.

(Sed vide, & in miseris rebus adesse DEVM.)

Digrediens parvo Causfungus tramite, lassum,
Esurie Puerum quærere Fraga jubet.

Id facienti aditu se Carbonarius offert

Obvius, ingenui qui Pueri ora videt.

Huic Puer in tacitam sed mox immurmurat aurem:

Princeps Saxonie sum genitore satus:

Me Nebulo hic abduxit: opem fer protinus, ullam

Si potes: hinc certò premia celsa feres.

Asper adest calcare iterum Causfungus: & asper

Bellatoris ubi frena resumit Equi,

Absq; morâ, Is clavam, manibus quam fortè tenebat,

Nodosam toto robore nixus agit,

Prædonisq; humeros pulsat, ter tempora circum,

Et quater ingeminans, ictibus instat atrox.

Clamoremq; altè tollens, dat signa securis

Clangore, illidens ferreâ cultra manu.

His, & latratu Canis excita cætera sylvis,

Carbones, properat, turba, venire, coquens.

Impli-

Ernestus ex
manu Hostis
Causfungi libe-
ratur per Car-
bonarios.

Implicitus capitur Prædo, calcaribus herens,
Fussu & Quæstoris Carceris antra subit.
Sed Puer exiliens, à Salvatoribus istis
Ductus, Carbonum squallida tecta subit.
Hic tenui potu, pane exaturatus & atro,
Antè usum se, inquit, non meliore cibo.
Redditur Illustris Puer inde Parentibus inter
Gaudia, vel toto non memoranda die.
Audito hoc MOSENVS ubi latitabat, & ipse
Sponte SVVM reddit mox, veniamq; rogat.
Carnificisq; caput Causfungi, est Ense recisum,
FRIBERGÆ, inq; Foro signa dat ista Lapis.
Defossum Petri sed corpus in Æde, refossum,
Neunkirchum ablatum est, ac ibi Tempora tenet.
Namq; Magistratus tumultatum hanc Vrbe celebri
Autorem Plagij noluit esse sacri.
Stat tamen excisus Saxo sub Turre Petrini
Templi, tam magnus, quanta statura viri est.
Indumenta DVCV M, velut illo tempore in usu,
Et, Carbonariis, vestis, ut apta viris,
Sunt in Ebersdorfij Templo, ceu, Symbola Facti,
Suspensa, & cuius aspicienda patent.
Fidite Magnates, ut enim vos magna Pericla,
Sic tutela DEI vos quoq; magna manet.

Adijt Regnum an. 1464.

Regnavit annos 21.

Obijt mortem 1486.

F

ALBER-

Causfungus
Fribergæ de-
collatus.

cc

cc

*ALBERTVS TERTIVS, SIVE PIVS, AB
adificatione Urbis Frib. Decimus Sextus.*

E Lectore satus FRIDERICO, hic Tertius hujus
Nominis ALBERTVS, Dux generosus erat.
Induperatori FRIDERICO Marte Bobemos
Vrgenti, adiutor venit, opemq; tulit.
Sancta Palestine conspexit rudera Terræ,
Eximie quod tum pars pietatis erat.
Huc iuit, multis comitatus, Stemmata claris,
Et redijt felix ad sua Regna domum.
Hic populos Fryfios in diuisione Bonorum,
Sortitus, rexit non propriâ ipse manu.
Atq; GVBERNATOR gentis petulantis ut effet,
HEINRICO Nato tradidit Imperium.
Esse sed huic adeo Plebs subdita noluit esse,
Vt vitæ aspiceret certa pericla sua.
Captivo est igitur Ferri fabrefacta Catena,
Guttur ut exosi strangulet illa DVVIS.
Hoc ubi rescivit Genitor, festinus ad oras
Currens ALBERTVS, Milite cinctus adest,
Milite quàm multo poterat properanter adesse,
Vindiceq; hoc Natus Carcere liber abit.
Profligatq; Hostes partim, partimq; trucidat,
Sic dignis tractans Colla superba modis.

Heinrico Gu-
bernatori Fry-
fiorum appara-
tur Catena
strangulato-
ria.

Hic

Hic Titulum invictâ obtinuit Virtute ROLANDI,
Namq; animo, nec non corpore, magnus erat.
DEXTERAQ; Imperij Manus appellatus, honorem
Fortiter, hunc, gestis rebus adeptus erat.
Qui si Prædonum manibus perisset iniquis,
Quo decore insigni tum Regio orba foret?
Sed tibi Rex Superum laus sit, quod tempore Reges
Das successivo, magnanimosque Duces.

Adijt regnum anno 1486.
Regnavit annos 14.
Obijt anno 1500.

XVII.

GEORGIVS RELIGIOSVS: DECIMVS
Septimus ab Vrbe Frib. conditâ.

Alberto Soboles bene digna GEORGIVS: Heros
Acer, nec mentis robore Patre minor.
Multa tulit, quando sæviret Rustica Turba,
Quam, labor insignis, pacificare, fuit.
Cum quoq; cum vera re Relligione LV THERVS
Proferret, taxans dogmata falsa Papæ,
Dux animi dubius, quò tenderet, esse LV THERI
Doctrinam invictam, mente sagace videns,
Convocat ex Claustris Doctos: nec Episcopus, Abbas
Nec quisquam, Papæ nullaq; Secta deest.
Hos obtestando aggreditur per Numina, dicant,
Num sit LV THERI, num sua vera Fides.

Fz

Pendite

Albertus nomi-
natur RO-
LANDVS
&
Dextera Ro-
mani Imperij.

Dux Georgius
convocat Epif-
copos Relligio-
nis causâ.

Pendite, ajt, nam Res agitur divina, Salusq;
Terrigenum: quod vis pendite, Dogma bene.
Illi obtestando per Numina sancta fatentur,
Quod non LUTHERI, sed sua recta Fides.
Imò Animas nostras, ajunt, pro pignore habeto,
Princeps, quod veniat non aliunde Salus.
His igitur verborum ampullis Optimus hic Dux
Delusus, tenuit, quod prius iovit, iter.
Sed tamen affirmant plures, quod morte propinquâ,
Pontificum multum quâ doluere cohors,
Astans Sacrificus dixit: Fer sancta JACOBO
Vota tuo, tuus hic Auxiliator erit.
Sed Medicus presens dixit: Quid vota Jacobo?
Fer CHRISTO, tuus hic Auxiliator erit,
Hæc quod & audierit PRINCEPS in mortis agone,
Indicat, hæc de se quod pia verba dedit:
Ergò agè, CHRISTE mei miserere in morte jacentis,
Affer opem, ac Animæ sit tibi cura mee.
Sic, bibit à teneris quod Dogma GEORGIVS annis,
Non retinet, CHRISTI sed Cruce nixus obit.

Accessit Regnum 1500.

Regnavit annos 39.

Obijt mortem anno 1539.

Sequuntur nunc Principes & Electores in Illustri Sacello
ad Templum Cathedrale sepulti.

XVIII.

HEINRICVS PROBVS: DECIMVS OCTA-
vus ab ædificatione Urbis Fribergens.

Fi.

Filius Alberti HEINRICVS tumulatur in Vrbe,
Hâc primò, à reliquis & fieri optat idem.
Causam aliquis cupiens hujus novisse, manentes
Assiduè sedes hîc habuisse sciat.
Inde sui Populi sibi conciliârat amorem,
Dulcibus assuetus Civibus atq; loco.
Utq; Urbem hanc vivo fuit incoluisse Voluptas,
Mortua sic volupe hoc ponere membra loco.
Hîc adolescentes Annos egressus (ut illo
Tempore Papatus Regna tenebat adhuc)
Sponte Palestinas Terras inuisit, ut hospes
Ignotus, Proceres associando sibi.
Compostellanum semel intuitusq; JACOBVM,
Illius ante Aras aurea dona ferens:
Hos Aureôs Centum, dixit, tibi Dive Jacobe,
Quem propter me istum juvit inire viam,
Offero, ne vacuus Delubra ad Sacra venirem,
(Dextra Aureôs Centum continuitq; manu.)
Sin rapuisse tibi finis à Nebulonibus illos,
Tu careas, nec enim culpa erit ulla mihi:
Dogmata Pontificum perstringere scommate tali,
Et sordare sibi, significare volens.
Paulò post, etas cum jam maturior esset,
Et regeret celsum Gratia dia virum,
Lux EVANGELII irradiat penetralia Cordis,
Illiq; in totâ dat Ditione locum.

F3

Post

Donum Hein-
rici Ducis erga
Iacobum Com-
postellanum.

Dux Heinri-
cus dat locum
Doctrinae Ey-
angelica.

Post obitum Fratris, cui Misna Tumba, GEORGIÛ,
Hic potiebatur, cum Regione, Bonis.

Incepit regnare an. 1539.

Regnavit annos 2.

Obijt anno 1541.

XIX.

MAVRITIVS: ELECTOR: DECIMVS NONVS
ab Vrbe Friberg. conditâ.

Filius HEINRICI Ducis hic Praconia post se
Laudibus æternis liquit, ad astra volans.
Undecies gessit Bellum, conflictibus Hostes
Qui delens gravibus, vulnera mille dedit.
Victor erat semper, nam vinci nescius armis
Irruit, oppugnans obvia quæq; sibi.
Cæsar ut Vngariæ Budam obsidione teneret,
Hic sponte adiutor venit, opemq; tulit,
De proprioq; Stipem ductæ dedit ære cohorti,
Nil parcens: tanta est cura, referre decus.
Dicere difficile est, quid DVX hic egerit illic,
Quotq; neci dederit, quosq; quibusq; modis.
Cumq; illic instaret ei quoq; grande periculum,
Evasit tamen hoc saluus & incolumis.
Nam Turcis circa se conglomerantibus illum,
Qui ruerant in eum, ceu Lupus inter oves,
Tergore donec Equi confossi liber abiret
MAVRITIVS, Turcas NOBILIS impedijt.

Et li.

Et librante manum, jam tollendi ictibus illum,
Turcâ, idem sese NOBILIS opposuit.
Ipseq; tam multo est laceratus vulnere, ut intra
Castra reportatus mox moreretur ibi.
NOBILIS hic natus RIBISSCHA ex stirpe SEBASTVS
SCHNAUBERVS, dictus nomine utroq; suo est.
MAVRITIVS Turcis hinc factus terror, Eumq;
Non pauci Populi pertimere truces.
Qui si non animo tanto cecidisset in Hostes
Non illi à letho gloria tanta foret.
Inde levi, Heroi est, de marmore, condita Tumba,
Mausolei instar, magnificum artis opus.
Sapè quod externis veniens miratur ab oris
Hostes, & huic similem vix Tumulum esse, refert.
Vexilla hic videas ex hoste relata fugato,
Quorum aliqua & fuso sanguine tincta madent.
Dux armis ipse indutus, quibus usus in Hostes,
Ceu cataphractus ibi conspiciendus adest.
At sic ceu nunquam ridet Fortuna serene,
Ut non sit torvis sepe supercilij:
Sic quoq; MAVRITIVM Victorem, interq; Triumphos
Letantem, luscè, valdè inimica, videt,
Et facit, ut globulo trajectus in ilia ferri,
Quem misit technis insidiosa manus,
Acciperet vulnus lethale, ut fusius ista,
Ex Tabulis, ejus dant Monumenta, suis.

Sebastianus
Schnauber ex
familiâ Ribi-
schorum.

Mauritius Ele-
ctor globo tra-
jectus moritur.

Sed tua

*Sed tua MAVRITI, clari decora alta Triumphi
Laudis & extinguet nomina, nulla dies.
Perpetuò viues: Nam nescit Funera Virtus,
Nec pereunt fortis strennua facta manus.
Æternum viues terræ Germanidos Heros,
Saxonice quondam firma Columna Domus.
Inq³ tuus CHRISTO, post multa pericla laborum,
Spiritus, aethereæ dona quietis habet.*

Ingressus Regnum an. 1541.

Regnavit annos 12.

Obijt mortem anno 1553.

X X.

*AVGVSTVS ELECTOR: AB ÆDIFI-
catione Urbis Friberg. Vigessimus.*

A *VGVSTVS Dux, Elector, Celsissimus Heros,
Cujus in æternos Laus manet usq³ dies,
Nunc sequitur: Soboles HEINRICI Illustris, ademptum
Quem quondam, mœsta mente dolemus adhuc.
O dilecte DEO Princeps, dum tendis ad Astra,
Das nobis gemitus, tristitiamq³ gravem.
O verè implesti Mensuram nominis: auges
Consilij, opibus, dum Fora, Tempa, Scholas.
AVGVSTO nobis salvo, omnia salva fuissent,
Namq³ Status sub eo rectus ubiq³ fuit,
Ille DEI metuens, Verbum cœleste fovebat:
Umbraculum sensit Relligio esse suum.*

*Augusti Ele-
toris Studium
indefessum in
conservandâ*

Post

Post LUTHERI obitum, cum Templâ Scholâq; venenum,
Hereticum inficeret, magnâq; Damna daret,
Restitit his vigili AVGVSTVS conamine, pellens
Suspectos, Calvo de grege, quotquot erant.
Nam velut ignis edax, non vi repressus, in altum
Surgit, trabs omnis dum cinesacta ruat:
Sic Calvinismo pars dedida, quanta patrasset
Damna? impugnasset quoq; furore Fidem?
Ni Dux AVGVSTVS curâ studioq; fideli
Huic injecisset fortia frena malo.
Sumptibus is parcens nullis, Ditionis in oris
Doctrinæ instituit Dogmata sana sacra.
Expulit Hereticos, & Librum scribere jussit,
Qui de CONCORDI glutine nomen habet.
Symbolicus Liber est, & Relligionis Asylum,
Hic Liber, huncq; Scopum res fidei omnis habet.
Si Labyrinthæis ambagibus occulat Hostis
Verba sacrata, vias hæc Ariadna docet.
AVGVSTO accepta hæc referamus ut omnia soli,
Dante DEO, Pietas officiosa jubet.
AVGVSTI Pietas ò indelebilis: ejus,
De CHRISTO, ò Manes quàm meruere bene.
In Ludos quid non meritorum contulit ille?
Officia in Viduas quis numerare potest?
Justitiæ assertor, Virtutis amator, Honesti
Tutor, Jura suis Civibus equa dedit.

G

Prædia,

sinceritate Ver-
bi Divini.

LIBER
Concordiæ.

Armamentarium
Dresdense.

Prædia, magnificasq; Domo hic condidit ære,
Illustris Soboles est quibus usa, gravi.

Cùm, quondam vivens, ARMAMENTARIA Dresdæ

Conderet, artificum tota parata manu,

Advenaq; huc quidam venisset forte Deaster,

Laudeq; magnificam tolleret, illa videns:

Inclytus AVGVSTVS dixit: Non mente nocendi

Vlli, hæc construxi, Militiæve siti.

Nec Gladium primus stringam, Verùm Hoste vocante,

His me defendam, suppositosq; mihi.

Atq; laceßitus penes, id, me, tempus habebō,

Mucronem è manibus ponere quando velim.

Ergo licet dudum vitalia lumina clausit,

Illius Laudes Fama loquetur anus.

Hunc Heroa canent venturi sæpe Nepotes,

A serâ & nomen Posteritate feret.

„ Omnia Mortales cum tandem in Morte relinquunt,

„ Non moritur Virtus, & pia facta manent.

Accessit Regimen anno 1553.

Regnavit annos 33.

Obijt anno 1586.

XXI.

CHRISTIANVS PRIMVS: ELECTOR:

Vigesimus primus ab Vrbe Friberg. Condit.

FVnere ab AVGVSTI breve tempus fluxit, anbelos
Sexto Anno nec dum Sol agitabat Equos,

Mox

Mox Illustre aliud Funus subit, (ecce duobus
Quam citò Funeribus SAXONIÆ Aula gemit)
Filius AVGVSTI, CHRISTIANVS nomine, id ipsum,
Tàm properâ Patrem morte secutus, erat.
Hic ut erat celsis magnisq; Parentibus ortus,
Sic Nature hausit semina certa bonæ.
Hinc Pietatis amans, per se Fideiq; probator
Rectæ, quam magno corde fovebat, erat.
Mendaces odit, dilexit vera loquentes,
Esse jubens à se Corda superba procul.
Alter eratq; Cato, rigidi servator honesti,
Quod vitam & mores attinet, ingenuus.
Vtq; severus erat, cum vellet: ita omnia in illo
Ridebant, cum se letitiæ dederat.
Vt breviter dicam: DVX natus ad omnia summa,
Ad mediocre nihil cretus & ille fuit.
Ingenio quicquid tentavit, & artis honestæ,
Hoc, sudante alio, continuo arripuit.
Mauritiani animi vis multa latebat in illo,
Sanguinis & patruî signa subinde dedit.
Arx velut in celso Monte edificata nitescit,
Et nescit tenebris lucida flamma tegi.
Viderat imbellem DVX hic marcere Juventam,
Aulam exercitijs atq; carere bonis.
Ergo ait: indignum est, quod laus sordescit Equestris,
Vtitur & rhedis Nobilis Ordo piger.

Nec fert ulterius: delineat Atria Marti,
Et Stabulo spacium deputat atq; locum.
Hoc ubi perfectum est, splendens Hippodromus extat,
Cujus ad accessus area plana patet.
Pabula Quadrupedes comedunt Præsepibus altis,
Omnia quæ rubro sunt fabrefacta cupro.
De validis pendent & ephippia tersa columnis,
Frenaq; pulchra super: Spongia ponè jacet.
Ad celeres abitus sunt cuncta aptata Caballis,
A quibus haud longè multus Equis cubat.
Profilit & longis adductâ Canalibus unda,
Quam bibit ex cupro fruge repletus Equus.
Ad Ferule motum micat auribus: efflat & ignem,
Et salit, ut vecors Saxa per alta Caper.
Creber erat Dux hic, & palpans tergora Equorum,
Esse sibi hos cura, delitiæq; notat.
Laus est Magnatum, Monumenta extare laborum,
Quos pia Posteritas laudet, ametq; sequi.

Ingressus Regimen an. 1586.

Regnavit annos 5.

Obijt anno 1591.

XXII.

FRIDERICVS WILHELMVS: ADMINISTRATOR,
AB VRBE FRIBERG. CONDITA
Vigesimus Secundus.

Iste Proelector FRIDERICVS, laude, VILHELMVS,
Post obitum, & magno nomine clarus adhuc,
Vtiliter

Vtiliter multis Ditioni præfuit annis,
Et chari Patris præstitit usq; vicem.
Ejus multa bona exhibuit Vigilantia Nobis,
Ex altâ speculâ Nostrâq; Nosq; tegens.
Illi cura prior semper cœlestis honoris,
Et veræ studium Relligionis erat.
Justitiæ defensor, Asylum Juris & Æqui,
Concessit nullo quæ violare modo.
Imò oblata, fide quantâ, Provincia gesta,
Non solum multis res bene nota viris,
Sed quoq; Canicies, hos acquisita per annos,
Est testis, sub humo quæq; sepulta simul.
Verè igitur dixit Polycarpus: **P R I N C I P I S** hujus
Omnia sic Annis isse, stetisse, Decem,
Manserit ut nobis Numen super Astra benignum:
Floruerit veræ Relligionis opus:
Cæsar in Imperio quoq; Clementissimus ipse:
Aurea Pax: Sanctæ Justitiæq; decus:
Et Vicinorum stent integra Corda: Clientum
Exutum scimus non aliquemq; bonis.
Omnibus ista modis sunt suspicienda, Deoq;
Ut simus grati pectore & ore, decet.
P R I N C I P I S hujus Opus fuit & recitatio, capta
Ipsius in Regno, quotidiana precum.
Is Mahometicæ visis crudelibus ausis
Hostis, **C H R I S T I C O L A S** quâ rabièq; petat,

G 3

Non

D. Polycarp. in
Concione gra-
tulatoria Ele-
ctori Christia-
no I I. habitâ.

Horæ Precum
quotidianarū
institute à Dn.
Frid. Vvilhel-
mo Administr.

Scrispsit Libel-
lum precum.

Non reperit melius tutamen, fundere quàm si
Assidue jubeat vota precesq; DEO,
Instituit pulsum Campanæ, protinus ad quem,
Auditum Populus confluat Æde sacrâ.
Has Horas nostræ FRIBERGÆ habuere Ministri
Continuos Annos Quinq; bis atq; duos.
O defende Tvos & adhuc, mitissime CHRISTE,
Nostrum Opus ut laudi seruiat omne tuæ.

QVid dicam? tanto quod ei pia Vota fuèrunt
In precio, ut Librum scripserit ipse precum.
Divulgare typis quem fecit, pluribus ampli
Nominis & Doni misit habere loco.
O bene sic regitur, sic & rectè itur ad Astra,
Inclyta cum Pietas omnia facta regit.

Accessit Administrationem an: 1591.
Præfuit eidem annos 10.
Obijt mortem an. 1601.

XXIII.

CHRISTIANVS SECVNDVS: ELECTOR:
ab Vrbe Friberg. conditâ Vigessimus
Tertius.

AD te nunc venio, cui Tumba hodierna parata est,
(O utinam nunquam Tumba paranda tibi,)
CHRISTIANI Primi, CHRISTIANE, ò Nate, Se-
Propria quem magnum Laus, & avita, facit. (cunde,
Virginis

Virginis à partu iam Secula lapsa bis octo,
Unus & Annus erant, cum tua Regna capis.
Regna capis Juvenis, bis nono etatis in Anno,
Fascibus applaudit Vir Juvenisq; tuis.
Nam statuit dudum sic Caesaris aurea Bulla, ut
Heros tunc capiat Frena tenenda manu,
Cum tantam etatem, lapsis puerilibus annis,
Attigerat, PRINCEPS, tum tibi quanta fuit.
Quin etiam accedis Regimen, cum Marte secundo
In Turcam Caesar sumeret arma trucem.
ALBAM REGALEM namq; oppugnavit in Anno
Hoc, sibi, Romanum, & subdidit Imperium.
O felix omen: nam cum Caput ipsaq; Membra
Florent, in Populum flos simul ille fluit.
Floruimus certè, sed Flos fuit ille caducus,
Orbum, deciduo flore, stat omne nemus.
Dulce nemus sibi Saxonica, in Regionibus istis
Fecit, odoratis R V T A stetitq; comis.
Nunc Eurus ferus, aut aliquis violentior Euro
Ventus, proh rabie quantà in utrumq; furit:
Dulce nemus flabris afflat lethalibus, unde
Disiecta Illustris, flore cadente, Coma est.
Sub quâ Relligio invenit tutamen & umbram
Hactenus, atq; usa est, vera, quiete, Fides.
Vtraq; nunc luget, miserorum instarq; Clientum,
Umbram aliam, requiem nunc aliamq; petunt.

Statutum Au-
ree Bullæ.

Stulweissen-
burg in Vnga-
riâ recuperata
ab Imper. Ro-
mano.

Flos Ruta
Saxonica.

Ille

Apostrophe ad
Illustriss. Prin-
cipem Dn. Io-
annem Geor-
gium, Ducem
Saxon. Ele-
ctorem.

36 177
OK

*Illa eris indubiè posthàc, ô JANE GEORGI,
Saxonica Stirpis, Dux generose, Nepos.
Fraternorum hæres Populorum, proffer honores
Hos capies, aberit nec tibi vera Salus.
Si, veluti spes est, Exemplo Fratris Aviq̃,
Defendes veræ Religionis opus.
Aurea florebit sub te Pax, hætenus omni
Conatu extinctam quam voluere Mali.
Sub te Fas habeant umbracula dulcia, & Æquum,
Justitia inveniat, te vigilante, locum.
Commoda te vigeant & publica, Tempa Scholæq̃
Stent bene, te, Gregis & prospiciente, Salus.
Sit tibi, quem gestas, bis acutus, pervigil Ensis,
Condemnando Malos, justificando Bonos.
Fide DEO, gravium pressus molimine rerum,
Auxiliatrices porriget ille manus.
Fide DEO Elector, namq̃ Electore supremo
Constituente, DEO, munia tanta capis.
Nos tibi subjecti gratamur ob illa, Precesq̃
Pectoris eximo fundimus: Alme DEVS,
Saxonicam RVTAM semper tuearis, & EN-
Electores cælitus usq̃ tege: (SES
Vt sit ab insidijs, Ecclesia tuta, Malorum,
In rectoq̃ diu sit Politia statu.*

Gratulatio &
precatio.

F I N I S.

Fribergæ typis Georgij Hoffmanni, Anno 1611.

h. 99, 14.

Dominatores Saxonici
Id est:

**ENVMER
OMNIVM PRIM
MARCHIONVM, LA
ORVM ET ELECTORVM**

DOMUS SAXONICÆ, sub quorum potestate
suâ ædificatone (ab anno videlicet 1171.) fuit,

Curculis vitæ ipsorum, deducta, addit
riodi Regni uniuscujusq

Quibus adjunctæ sunt Personæ Illustres &
Templi Cathedralis ibidem

*Ex quibus omnibus videre licet, quoties p
osissimos Obitus Dominorum suorum de*

Carminè Elegiaco descripta, & a

& generosiss: Principi ac

DN: JOANNI GE

Saxonie, Julie, Clivie & Montie

Imp: ArchiMarschallo & Electori, La

Marchioni Misnie, Burggravio Magdeburge

*& Ravensburg, Domino in Ravens
suo Clementiss.*

Cum (præstitis FRIBERGÆ

**Fratri suo desideratiss: Illustris: &
& Domino, Domino**

CHRISTIAN

Electori Sax. Dresdæ anno 1611. 23. Junij

**Suscepturus esset Electoratum, & Dition
gubernationem hæreditaria**

Autore M. Georgio Agric

docentium Collegâ ad D. N



646

